

Constitutionibus, & Ordinationibus, ac literis pie mem. Clementis Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri, per quas statuit, & ordinavit, quod cura, gubernium, & administratio dictæ Accademix, illiusque bonorum ad pro tempore existentem Episcopum Chelmen., uti loci Ordinarium spectet, & pertineat: Quibus quidem literis dicti Clementis Prædecessoris quoad particulare Statutum, & Ordinationem hujusmodi dumtaxat, eisdem literis in reliquis omnibus, quæ fundationi, institutioni, & dotationi Accademix hujusmodi non adversantur, in suo robore permanens, specialiter, & expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, quod Professores, Doctores, Lectores, Præceptores, Magistri, & quicumque alii in dicta Accademia docentes, in primis, & ante omnia Catholica fidei professionem juxta articulos primum ad Sede prædicta propositos in manibus pro tempore existentis Rectoris, seu Cancellarii dictæ Accademix, aut personæ ad id ab eo deputandæ emittere, ac etiam jurjurando interposito, quod nihil quicquam ab ipsa fide Catholica devium, seu alienum doceant, aut interpretabuntur, promittere omnino debeant, & teneantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 6. Junii 1617. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

CCLX XIII.

Jubilæi indicio ad divinam opem pro Ecclesiæ necessitatibus implorandam.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christianis fidelibus presentes literas inspecturis, salutem, & apostolicam benedictionem.

Causa hujus Constituit.

Ecce tribulationes apprehenderunt nos, Diaboli tentamenta grassantur in Nobis: quapropter merito nos tenet timor divine iræ. Intelligimus enim pressuras, & angustias secundum peccata nostra venire: tantoque magis hæc Nos formido conturbat, quod non semel vidimus Gregis curæ nostræ commissa mala: ac personare Nobis assidue videntur aures nostræ divinis illis per Hieremiam pronuntiatis vocibus: *Prostra percussisti filios vestros, & disciplinam non receperunt, iteraverunt vias suas, & malitia eorum non sunt consumpta.* Ita ut verendum sit, ne aggravet justus Dominus super nos manum suam, & cognoscemus, quam amarum sit, eum in iniquitatibus provocare. Quamobrem placemus Dominum in amaritudine animarum nostrarum, offerentes Deo Sacrificium contriti cordis, & spiritus humiliati, amplectamur in jejuniis, & lacrymis veram poenitentiam, con-

Professionem fidei a Professoribus, Doctores, &c. hanc man dat.

Dat. die 6. Junii 1617. An. XIII.

cludamus eleemosynam in sinu pauperis, ut hi pro Nobis exorent ad Dominum; Ipse enim visitat facinora in virga, & in flagellis delicta, misericordiam vero suam non dispertit a Nobis. Hanc misericordiam, ut consequamur, ad Tribunal gratiæ cum fiducia adire nos oportet unanimi oratione; memores multum posse apud Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi Patrem misericordiarum, unanimes voluntates, & concordēs preces. Dominum enim dixisse novimus: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quacumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in celis est.* Hoc autem ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ, omnium Matris, & Magistræ, more, in præsentibus necessitatibus ad ejusdem Ecclesiæ Thesauri largam dispensationem pro nostro pastoralis officio conglaciendum duximus.

§. 1. Itaque ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes, & singulos utriusque sexus Christianos tam in Alma Urbe nostra, quam alibi ubique locorum constitutos auctoritate apostolica paternæ, enixeque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infra scripta devote peragendum, & adimplendum, & ad pias, ac fervidas ad Altissimum preces effundendum, ut per viscera misericordiæ suæ Ecclesiam suam exaltare, eamque ab hostium conatibus, & insidiis defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare, ac præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur.

§. 2. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis licet minime suffragantibus, contulit: universis, & singulis Christianis fidelibus in Alma Urbe prædicta degentibus, qui solemnibus processionibus, quas a Cappella nostra publica Palatii Apostolici ad Ecclesiam S. Petri in Vaticano feria quarta, & ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris feria sexta præsentis hebdomadæ una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Christianorumque Regum, & Principum apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoribus, omnibusque Prælatibus, & Proceribus, universoque Clero, & Populo agemus, interfuerint, vel qui præsentibus, ut præfertur, vel sequenti hebdomada eisdem Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesiis, vel illarum alteram semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, ac feria quarta, & sexta, ac Sabbato ejusdem præsentis, vel sequentis hebdomadæ jejunaverint, & peccata sua confessi in primo die Dominico, vel secundo, vel saltem alio dictarum hebdomadarum die Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter susceperint, & eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggererit, fecerint.

Hortatu Christianos, ut hoc Jubilæum assidue curent.

Præsentibus processionibus hic descriptis indulgentias elargitur servatis, quæ præscribuntur.

§. 3. Cæ-

Extra Urbem vero notra præscribit illud assequendi.

§. 3. Cæteris vero omnibus, & singulis Christianis fidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis Civitatibus, Terris, & locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, vel eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, prima, vel secunda hebdomada, postquam ad eorum notitiam hæc nostre literæ pervenerint, indicandæ, & agenda interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias per eisdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, Deum oraverint, ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac Sanctissima Communionem refecti fuerint, & eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno subitæ visitæ, certas Ecclesias intra, & extra Urbem concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

§. 4. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supradictis omnibus peractis, ut supra, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant.

§. 5. Regularibus autem personis utriusque sexus in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam religiosis secularibus, seu regularibus in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut Confessarius, quem, ut infra, elegerint, prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in alium proximum tempus prorogare possint, eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

§. 6. Cupientes autem, omnes Christianos participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem ex approbatis locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflatis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, atque aliis per quascumque Rom. Pont. Prædecessorum nostrorum, Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientie, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant.

Usa cum facultate eligendi sibi confessorium cui potestate absolventi ab his explicatis casibus.

Ac etiam sineantibus.

Necnon pro Regularibus infirmis, Carceratis, &c.

Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

§. 7. Et insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum quilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliusque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

§. 8. Quapropter tenore præsentium, in virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Ven. Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatibus, & quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, & Cleris, ac Populis sibi subiectis solemnes Processiones, & supplicationes indicant, & celebrent, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

§. 9. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quocummodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie.

§. 10. Neque etiam iis, qui a Nobis, & Sede Apostolica, vel ab aliquo Prælate, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententiis, & censuris incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis hujusmodi Jubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

§. 11. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, præsertim quibus facultas absolventi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti, reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Jubilæi, Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non regula nostra de non concedendo indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive institutorum Regularium, juramento, &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut expressio habenda, vel quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis, ac forma eorum tradita pro servata habentes, hac vice dumtaxat specialiter, nominatim, & expresse ad

Votaque commutandi præter Religionis & Castitatis.

Mandat hunc Constit. publicæ a Prælatibus.

Excipit non nullos casus, in quibus non intelligit posse dispensari.

Publicæ denunciatæ excommunicatis hoc Jubilæum non suffragari declarat.

Contraria res movet.

G g

cf

effectum presentium derogamus, caterif- que contrariis quibuscumque. §. 12. Ut autem presentes nostre, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem presentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXVII. Pridiæ Idus Junii, Pont. Nostri Anno Tertio decimo.

CCLXXIV.

Præceptum omnibus Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus Civitatis, & Domini Reipublicæ Venetiarum, ne quamdam Collectam, seu Gabellam ipsis absque Sedis Apostolicæ licentia impostam, persolvant.

PAULUS PAPA QUINTUS

Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus in Civitate Venetiarum, & Statu dilectorum filiarum, nobilium virorum Ducis, & Domini Venetorum existentibus, ad quos presentes nostre literæ pervenerint, salutem, & apostolicam benedictionem.

§. 1. CUM, sicut ad nostram notitiã, non sine magno animi nostri dolore, pervenit, Laici in Civitate Venetiarum, & Statu Ducis, & Domini dilectorum Venetorum, quamdam Collectam, seu impositionem Compadigo nuncupatam a personis ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus exigere velint, & forsã jam exegere, & nonnulla personæ ecclesiasticæ prædictæ eandem collectam, seu impositionem solvere inceperint, licet nulliter, & de facto, & contra sacrorum Canonum, & generalium Conciliorum Decreta, id absque expressa Sedis Apostolicæ licentia fieri, sub gravissimis censuris, & poenis ecclesiasticis prohibentia.

§. 2. Propterea Nos, qui super universam Ecclesiam a Deo per ejus divinæ gratiæ abundantiam, nullo nostro merito, constituti, omnem Ecclesiarum indemnitate, & immunitatem tueri tenemur, pro incumbenti Nobis officii hujusmodi debito, præmissis, quantum cum Domino possumus, providere volentes: Vobis omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus prædictis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, Congregationis, & Instituti in Civitate, & Statu prædictis existentibus, ne eandem Collectam, seu impositionem absque expressa Sedis Apostolicæ licentia, quavis occasione, causa, vel quæsito colore ullo mo-

Laici vœdical quoddam ab Ecclesiasticis quoque solvendum impoluerant.

Paulus Ecclesiasticis interdicit sub excommunicationis pena, quominus illud persolvant inconsultæ Sedis Apostolicæ.

do solvatis, aut hujusmodi solutioni consentiatis sub excommunicationis late sententiæ, a qua non nisi a Nobis, præterquam in mortis articulo, absolvi possitis; nec non aliis poenis, arbitrio nostro irrogandis, auctoritate apostolica, tenore presentium, interdiciamus, & prohibemus, ac præcipimus, & mandamus.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, quorum omnium tenores, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, presentibus pro expressis haberi volumus. Aut si vobis, vel vestrum aliquibus, communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possitis per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 4. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod presentes literæ, seu illarum exempla, etiam impressa, manu Notarii publici subscripta, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, postquam ad notitiam vestram, vel cujuslibet vestrum quoquo modo pervenerint, vos, & vestrum quemlibet arceant, & afficiant, ac si vobis, & vestrum cuilibet personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 19. Augusti 1617. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio. [a]

CCLXXV.

Prohibet quominus in actibus publicis Beatissimam Mariam Virginem in peccato originali fuisse conceptam, asseratur.

Ad hæc aliam ediderat sanctionem Sixtus IV. in cap. 2. inter Extravag. Commun. de Reliq. & Vener. Sanctor. comprobata in Concil. Trid. sess. 5. de Peccato. Orig. in fine. Et alteram Pius V. in Constit. LVIII. Super Specula. Tom. IV. Part. III. f. 138. Et eas innovavit hic idem Paul. in sua Constit. CCLXII. Regis. supra fol. 209.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. D. Paulo Divina providentia Papa Quinto, feria v. die 31. Augusti, Anno a Nativitate D. Nostri Jesu Christi 1617.

Sanctis. D. N. post longam, & maturam discussionem, auditis Votis Illustrissimo-

(a) Paulus Ecclesiasticæ Immunitatis vindex literis ad Apostolicum in Regno Neapolitano Nuncium, & Decium Cardinalem Carasum datis, eisdem commisit, ut Clerum, atque Communitatem, quam vocant, Neapolis convenire curarent super solutione cujusdam vœdicalis. Hujusmodi literas innuere, satis esse putavimus, ut brevitati consulere-

Obstantia solit.

Presentium Transumpta obligant.

Dat. die 19. Augusti 1617. Ann. XIII.

Proccinium.

morum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitate Generalium Inquisitorum, re accurate, ac diligenter perpenfã, provide considerans, quod quamvis in Constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, pro submovendis inter Christianos fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, a sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Constitutione sanctæ me. Pii V. super eadem re, quas similiter Sanctitas Sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adiectionibus poenarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnatur.

§. 1. Nihilominus ex occasione assercionis affirmativæ in publicis Concionibus, Lætionibus, Conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano, cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & disensiones.

§. 2. Propterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit, omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, & Instituti Regularibus, & aliis quibuscumque tam ecclesiasticis, quam secularibus personis, cujusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam ecclesiasticæ, quam secularis, etiam si specialis, specifica, & individua earum esset necessario mentio faciendã; ut in posterum, donec articulus hujusmodi a sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lætionibus, Conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

§. 3. Contrafacientes autem, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & poenis contentis in prædictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis.

§. 4. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præfenti reperitur, præterquam quoad supra disposita.

§. 5. Ulterius sub eisdem censuris, & poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.

§. 6. Insuper voluit, & expresse mandavit, ut extra hos casus expressos publicarum actuum, in reliquis omnibus supra-

dictæ Constitutiones firmæ, & illæse remaneant, & exacte observentur, perinde ac si præfens Decretum non emanasset.

§. 7. Et deinde decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte prædictis Constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus.

§. 8. Volens, & decernens pro observatione, & executione præfentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque ecclesiasticas, & sæculares personas cujuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis tam ecclesiasticæ, quam secularis, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, alique Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitate ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severe animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac poenis coercendi, & puniendi.

§. 9. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, quod præfens Decretum, seu illius exempla ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arceant, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

§. 10. Quodque præfentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici, subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pettinis Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Not.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1617. indictione 15. die vero 12. mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli divina providentia Papa V. Anno 13. præfens Decretum affirmum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, per me Franciscum de Clericis Sanctissimi D. N. Papæ Curforem.

Silverius Pontifrolus Mag. Curs.

Causa hujus Const.

Prohibitio asserendi in actibus publicis T. V. Mariam fuisse conceptam in peccato originali.

Impositio poenarum in contrafacientes.

Permissio opinionis contrariæ.

Prohibitio illam in actibus publicis impugnandi.

Præservatio dd. Constitut. extra hos cas.

fus a Sum. publicorum.

Observantia hujus Constit. & derogatio contrariorum.

Jurisdicção ordinariarum, & inquisitorum in transgressores etiam exemptos.

Publicatio in Urbe omnes afficiat.

Fides Transumptorum.

Erectio, & concessio Monasterii pro Congregatione Monachorum Sylvestrinorum Ordinis Sancti Benedicti in Civitate Auximana, cum approbatione sanctitatis, & miraculorum Sancti Sylvestri Abbatis fundatoris ejusdem Congregationis.

Hanc Congregationem approbavit Innoc. IV. in Constitut. XII. Religiosam. Tom. III. Par. I. fol. 308. Ac de electione Priorum nonnulla statuit Paul. III. in Constit. XLV. Expocit. Tom. IV. Par. I. fol. 220.

Venerabili Fratri Episcopo Auximano, seu dilecto filio eius Vicario in spiritualibus Generali salutem, & apostolicam benedictionem.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Sanctorum virorum, qui dum in terris agerent, perfectum, ac pium Altissimo exhibuere famulatum, virtutes, ac merita non solum in caelis a Domino eternum consequi premium meruerunt, verum etiam in terris ab Ecclesia Catholica quotidie magis, ac magis glorioso laudum praconio celebrari consueverunt.

Recensentur merita ac laudes S. Sylvestri Abbatis Fundat. Monachorum Sylvestrinorum.

§.1. Et in caeteros caeli cives non mediocri laude dignus habetur Sanctus Sylvestri Cuzolinus, nobilis Auximanus, Congregationis Monachorum Sylvestrinorum institutor, quem cum multis virtutibus, & miraculorum insignibus in Ecclesia celebratur, merito Auximana Civitas Civem suum in caelis gloriosum, etiam in terris praecipua devotione colere, & venerari, novumque Templum, ac Coenobium ad ejus honorem erigere contendit. Unde Nos considerantes cujus quantique meriti apud Deum, & homines Sanctus hic Abbas existerit, qui supernae adpirationem vocationis sequens, & ad propositum sibi bravium infatigabiliter currens, honores Mundi spernens, ac gloriam, asperam Montis Fani incoluit. Eremum, ut uni Deo sibi vacaret, e qua postea divino afflatus Spiritu exiens, brevi eos progressus fecit, ut ejus nomine per universum Picenum, & alias Provincias propagato, divini etiam Numinis gloriam amplificaverit. Novimus enim, quanto pietatis studio, quantoque coelestis amoris aestu mortales ad omnia pietatis officia excitaverit, quibus virtutibus, humilitate, animi mansuetudine, in proximis caritate, abstinence, castitate, patientia, aliisque multis floruerit; quae, & quot miracula per eum ille, qui mirabilis est in sanctis suis, patrauerit, servi sui merita, & sanctitatem signis innumeris attestando. Nam de Sancto hoc viro etiam prophetia spiritu praedito, illud vere dici poterat, quod de se Christus Dominus praedicabat, Caeci vident, Claudi ambulant, Surdi audiunt, Leprosi mundantur; ut fortasse nihil mirum

sit, quod illi Dei mater Maria sua ipsa manu, novo inauditoque, sed indubitato, post hominum memoriam gratia genere Filium suum sub augustissimo Eucharistiae Sacramento latentem, porrexerit. Quapropter multa illi postea Tempora erecta, & innumera ad ejus sepulcrum vota suspensa sunt, ut non immerito felicitis recordationis Clemens Papa VIII. Praedecessor noster, Sanctum hunc virum Martyrologio Romano iusserit adscribi, & Nos in Sanctorum Monachorum Abbatum numerum retulimus. Eius vero memoria usque ad haec saecula in benedictione est, & haereditas sancta Nepotes ejus, eo quod praedictam venerabilem Monachorum Congregationem de suo nomine Sylvestrinorum nuncupatam, sub Regula Sancti Benedicti instituens, per pia memoria Innocentium Papam IV. etiam Praedecessorem nostrum approbatam, quam etiam Nos communicatione privilegiorum tam Mendicantium, quam non Mendicantium communivimus, ejus alumni religiosam, ac laudabilem agentes vitam, in agro dominico operam suam strenue collocant, christianam pietatem, sana doctrina, & virtutum exemplis promoventes.

§.2. Pia igitur consideratione hujusmodi ad ea libenter intendimus, per quae fabricarum Ecclesiae, ac Monasterii in eadem Civitate ad honorem ipsius Sancti Sylvestri noviter erigendi perfectioni, ac personarum in eo sub suavi Religionis jugo altissimo famulantium, ut bonarum artium, & Theologiae Studiis vacare possint, commoditati, & utilitati cum divini cultus augmento valeat salubriter provideri.

§.3. Dudum siquidem omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si seors super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Cum itaque postmodum Parochialis Ecclesiae Sancti Andreae Auximae per liberam resignationem dilecti filii Joannis Baptistae Blaxini, nuper ipsius Ecclesiae Rectoris, de illa, quam tunc a triennio, & ultra obtinebat, in manibus nostris sponte factam, & per Nos admissam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad praesens, nullusque de illa praeter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione, & decreto obstantibus supradictis.

§.5. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Sebastiani Fabri Generalis, & Maximi de Ubaldis Procuratoris Generalis Monachorum Sylvestrinorum hujusmodi petitio continebat, dilecti filii Communitas, & homines, ac populus Civitatis Auximane praedictae, ob maximum pietatis, & devotionis studium, quo Sanctum Sylvestrum Abbatem Concivem suum, & Congregationis hujusmodi auctorem, atque institutorem semper prosequuti sunt, diu, multumque exoptaverunt, eodem

Causa hujus Constitut.

Hic Pontifex reservavit sibi omnia beneficia vacatura.

Et postea ei libere resignata fuit Parochialis Ecclesiae S. Andreae a D. Jo. Bapt. illius Rectore.

Qui dd. Monachi supplicarunt Pontifici applicari ipsorum Monasterio ex causis hic expressis, & curam illius transferri in vicinam Parochialem Ecclesiam.

dem Sylvestrinos Monachos intra sua menia evocare, atque complecti, & coacti inopia eorum Religiosorum hominum Monachorum, praecipue, quorum apud illos nulla extant Monasteria, qui studeant spiritualibus exercitationibus, concionibus, & sermonibus de rebus divinis instituendis, conscientiae casibus explanandis, Scripturae sacrae declarandae, quique etiam operam collocent in Philosophiae, & Theologiae disciplinis tradendis, ac explicandis. Nemo enim in tanta Civitate est sive saecularium, sive regularium, qui hujusmodi munia obeant, & qui propterea dies, ac noctes Ecclesiae pallendo, Missarum solemniam celebrando, adolescentium animis Christiana Doctrina imbuedis, & tum Confessionum audiendarum, tum etiam Eucharistiae Sacramentis administrandis, ea, quae par est religione, & diligentia inserviant. Unde cum nullus, nec capacior, nec commodior locus existeret, proximum Parochiali Ecclesiae praedictae supradictis Monachis Monasterium a fundamentis extruxerunt, & in eo sex eorumdem Monachorum Religiosi sub Prioris regimine, regularique observantia degentes maxima cum populi frequentia, ac Religionis progressu omnia supradicta munia peragunt, & prosequuntur, aliisque pietatis, & caritatis operibus se exercent, & de caetero exercere, magisque in dies augeri, & ampliari ad Dei omnipotentis gloriam, & animarum salutem desiderant. Verum quia habitationes Monasterii hujusmodi angustae, & minus capaces sunt, ut ibi praedicti, aliique Monachi eorum numero cupientes aggregari, recipi possint, pium hoc, & laudabile propositum satis commode exequi, & adimplere nequeunt, nisi eis aliunde provideatur. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, si Parochialis Ecclesia praedicta cum ejus domo rectorali, quae angustissima existunt, & maxima reparatione indigent, & intra ambitum ipsius Monasterii comprehenduntur, Abbati, seu Priori, & Monachis praedictis, quibus illarum jam usus concessus est, perpetuo concederentur, ac illius cura Parochialis, quae viginti domorum circiter extitit, ad aliam Parochialem Auximanam vicinam, & tibi beneficium transferretur, ac alia, quae sequuntur, fierent, ex hoc profecto dictorum Monachorum commoditatibus in tot piis, & laudabilibus operibus exercendis, illorumque hujusmodi Congregationis augmento, & stabilimento, cum Dei laude, & servitio plurimum consuleretur; pro parte Sebastiani Generalis, & Maximi praedictorum afferentium, dictum Joannem Baptistam Ecclesiam Parochialem hujusmodi a triennio, & ultra obtinuisse, ut praefertur, & aliunde cum infra scriptis commode vivere valere; fructus vero, redditus, & proventus ejusdem Parochialis Ecclesiae vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annum non excedere. Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius Parochialis Ecclesiae decori, & divini cul-

tus in ea incremento, institutisque regularis ipsius Congregationis propagationi opportuna ratione consulere, ac aliis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

§.6. Nos igitur certam de praemissis notitiam non habentes, ipsosque Sebastianum Generalem, & Maximum, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi, ac Communitatis, & hominum, ac populi praedictorum supplicationibus inclinati, Fraternalitati tuae, Frater Episcopo, seu discretioni tuae dilecte filii Vicari, per apostolica scripta mandamus, quatenus confito prius tibi de praemissis, in Parochiali Ecclesia praedicta, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque personae, seu per similem, vel aliam, vel liberam resignationem dicti Joannis Baptistae, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut Constitutionem recolenda memoriae Joannis PP. XXII. similiter Praedecessoris nostri, quae incipit: *Execrabilis*, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet; etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ipsaque Parochialis Ecclesia dispositioni Apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; dummodo ejus dispositio ad Nos hac vice pertineat, nomen, titulum, & denominationem Rectoris perpetuo dicta auctoritate nostra supprimas, & extinguas.

§.7. Illisque sic suppressis, & extinctis, & ad hoc, ut Ecclesiae, illiusque domus Rectoralis usus perpetuo Abbati, seu Priori, & Conventui Monasterii hujusmodi liber omnino, & absolutus remaneat, ab ipsa Ecclesia Sancti Andreae omnem curam animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum nunc, & pro tempore existentium, illiusque exercitium, & usum etiam perpetuo eadem auctoritate nostra abdicet, & separet, nec non curam, & exercitium hujusmodi ad aliam Parochialem Ecclesiam Auximanam vicinam, & opportunam, ac tibi beneficium, accedente tamen dilectorum filiorum illius Rectoris, & Parochianorum consensu; ita ut illi, & ejus Rectori pro tempore existenti de caetero subint, & dictus Joannes Baptista ex nunc ab ipsius Ecclesiae Sancti Andreae servitio, & residentia apud eam faciendae, ac omnibus, & singulis functionibus, officiis, exercitiis, oneribus, & obligationibus Parochialibus tuta conscientia liber, atque expensis censetur; similiter perpetuo praedicta auctoritate

Ideo Pontifex mandat dicta Ecclesiam supprimi, & extingui.

Curamque animarum transferri in aliam Ecclesiam cum assignatione emolumentorum ex tali cura provenientia.

tate nostra transferas; ac eidem Ecclesie, ad quam predicta cura transferri contigerit, ex nunc prout ex tunc, & e contra, postquam cura predicta translata fuerit, omnia, & singula emolumenta incerta ex curae animarum exercitio in primo dicta Ecclesia provenientia, & lucrari solita, ac etiam decimas post obitum tamen dicti Joannis Baptistae, quae illi ejus vita durante reservatae sint, & esse censentur; ita quod liceat illius Reftori pro tempore existenti, per se, vel per alium, seu alios suo, ac secundo dictae Ecclesiae nomine emolumenta incerta ex nunc, & post obitum dicti Joannis Baptistae decimas hujusmodi, quae valorem annuum septem ducatorum similitum, vel circa, ut etiam asseritur, constituunt, percipere, exigere, & levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, pariter perpetuo auctoritate nostra praedicta applices, & appropries.

Eamque sine cura praedicta una cum domo Religioſi, Reliquiis, ac ſuppelleſtilibus tam ſacris, quae prophanis dicitur Monachis concedi, & assignari.

§.8. Ecclesiam vero Sancti Andreae sine cura remanentem, cum illius domo reftorali hujusmodi, cujus quidem domus valor in proprietate quinquaginta ducatorum hujusmodi summam non excedit, & ex qua, si locaretur, usque ad sex ducatos hujusmodi quotannis, ut pariter asseritur, perciperentur, Abbati, & Conventui praedictis, cum paramentis, & ornamentis Ecclesiae primo dictae, illiusque Sacrificiae, ac omni, & quaecumque sacra, prophanaeque suppellectili, Sanctorum corporibus, & aliis reliquiis quantumvis insignibus, & principalibus, ceterisque rebus in primo dicta Ecclesia, illiusque Sacrificia existentibus pro eorum usibus, & exercitiis, itidem perpetuo eadem auctoritate nostra concedas, & assignes, ita quod liceat Abbati, & Conventui Monasterii, nunc, & pro tempore existentibus, Ecclesiae Sancti Andreae, ac Domus, aliorumque praemissorum hujusmodi corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel per alium, seu alios, eorum, & Congregationis hujusmodi nomine apprehendere, & perpetuo retinere, illisque uti, & gaudere, Dieceſani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Verumque beneficii simplex in illa, seu alia Ecclesia pro uno Presbytero, seculari ad subeunda onera praedictae Ecclesiae suppleat infirmum juvet.

§.9. Praeterea in praedicta Sancti Andreae, seu alia Ecclesia tibi benevola, unum perpetuum simplex, & personale residentiam non requirens beneficium sub ejusdem Sancti Andreae, seu alia invocatione, pro uno Clerico, seu Presbytero seculari, perpetuo futuro illius beneficiato, qui reliqua primo dictae Ecclesiae, illiusque Reftoris, praeter curam animarum, & Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationis incumbentia onera supportare teneatur, etiam perpetuo, sine tamen alicujus praedicti praedicta auctoritate nostra erigas, & instituas.

Pro ejus dote assignanda omnia praedictae Ecclesiae emolumenta praeter translata.

§.10. Illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, & futuri beneficiati, onerumque illi incumbentium supportatione, omnia, & singula alia primo dictae Ecclesiae bona, fructus, redditus, proventus, jura, & actiones, praeterquam abdicata, &

translata, & concessa, & assignata, a primo dicta Ecclesia dismembrando, & separando in perpetuum, auctoritate nostra hujusmodi applices, & appropries: Ita quod futurus beneficiatus praedictus eorum possessionem etiam apprehendere, illaque habere, percipere, & consequi, ac in suos usus, & utilitatem convertere absque alicujus alterius licentia libere possit, & valeat.

Et hujusmodi Beneficium d. Joan. Bapt. si idoneus extiterit cum suis honoribus & oneribus conferendum

§.11. Et nihilominus beneficium praedictum, cujus, & illi forsitan annexorum fructus, redditus, & proventus, quatuordecim ducatorum parium secundum estimationem praedictam valorem annuum, ut pariter asseritur, non excedunt, a primava erectione, & institutione hujusmodi vacans, dicto Joanni Baptistae, postquam tamen per diligentem examinationem dictum Joannem Baptistam ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedicta auctoritate nostra conferas, & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios, eundem Joannem Baptistam, vel Procuratorem suum ejus nomine, in corporalem possessionem beneficii, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum praedictorum; ac defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore; ac faciens, Joannem Baptistam, vel pro eo Procuratorem praedictum ad beneficium hujusmodi, ut est moris, admitti, sibi que de illius, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integre responderi; contraditores auctoritate nostra praedicta, appellatione postposita, compescendo.

In contrarium faciendus derogat.

§.12. Non obstantibus praemissis, & nostra de exprimendo vero annuo valore secundum estimationem praedictam tam beneficii uniendi, quam illius, cui sit unio, nec non pie memoriae Bonifacii Papae VIII. similiter Praedecessoris nostri, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque: Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictae Sedis, aut Legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas, & processus habitos per eandem, ac inde sequuta quaecumque ad praedictam Ecclesiam Sancti Andreae volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem beneficiorum aliorum praedictorum generari.

Clausulas preservativas adjungit.

§.13. Nos enim quoad resignationem, prout est, si attentatum forsitan est haecenus, vel imposterum, & quoad illam, & alia praemissa hujusmodi, dictusque Joannes Baptista ad hoc repertus fuerit idoneus, ex nunc perinde irritum decernimus, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, ac si die data earumdem praesentium dicto Joanne Baptistae ad id reperto idoneo de beneficio hujusmodi mandavissetur provideri.

Da-

Dat. die 23. Sept. 1617. An. XIII.

Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo decimo septimo, nono Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno XIII.

Sequitur extensio cujuscumque gratiae, & privilegii Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium ad praedictam Congregationem cum omnibus restrictionibus.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurator

Religiosorum virorum altissimo famulantium profectui, quantum cum Domino possumus, paterna caritate prospicere cupientes, privilegia, & gratias aliorum Ordinum, & Congregationum Regularium Religiosis concessa, libenter illis communicamus, & ad eos extendimus, cum id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causa hujus Constitutionis.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Jacobus Mercatus Magister Generalis, & Monachi Congregationis Sylvestrinorum Ordinis Sancti Benedicti Nobis nuper exponi fecerunt, Congregatio praefata nulla, aut pauca privilegia, gratias, & indulgentias, quibus ipsius Congregationis Religiosi fruuntur, habeat, & propterea, ut majori cum spiritu fervore, & animorum quiete Deo servire possint, cupiant Magister Generalis, & Monachi praedicti privilegia, gratias, & indulgentias hujusmodi tam Mendicantium, quam non Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus, ac eorum Monasteriis, Domibus, locis, & personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, quomodolibet concessa, ad eorum Sylvestrinorum Congregationem, illiusque Monachos, & personas extendi, illaque eis communicari. Ideo pro parte dicti Jacobi Magistri Generalis, & Monachorum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Communicatio omnium gratiarum, & indulgentiarum, cujuscumque Ordinis Mendicantium, & non Mendicantium, cum tribus restrictionibus.

§.2. Nos igitur Congregationem Sylvestrinorum praedictam, ejusque Monachos, & personas quascumque ob eorum regularem disciplinam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac singulorum privilegiorum, gratiarum, & literarum desuper concessarum, hujusmodi tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, & quemlibet eorumdem Religiosorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super consultatio-

nibus, & negotiis Episcoporum, & Regularium deputatorum, omnia, & singula privilegia, praerogativas, concessionis, facultates, exemptiones, immunitates, indulgentias, ceteraque gratias spirituales, & temporales, ac tam conjunctim, quam divisim, & alias quomodolibet quibusvis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationibus, ac tam virorum, quam mulierum Monasteriis, Domibus, & regularibus locis in quibuscumque mundi partibus consistentibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monachis, & personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros hujusmodi, ac Nos, & Sedem eandem, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias concessa, ac quibus singula Congregationes praedictae, earumque Monasteria, Domus, & loca, ac Superiores, Fratres, & Monachi, & personae hujusmodi de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut concessione apostolica, vel alia quavis auctoritate, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum (quatenus sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, seu particularibus Constitutionibus ejusdem Congregationis Sylvestrinorum non contrariantur) ad praedictam Sylvestrinorum Congregationem, ita ut illa, ejusque, tam virorum, quam mulierum Monasteria, Hospitalia, Conventus, seu regulares domus, illarumque Piores, Superiores, Officiales, Fratres, Ministri, & aliae personae nunc, & pro tempore existentes, praemissis omnibus, & singulis aequae, ac pariformiter, & sine ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, ac si illa dictae Sylvestrinorum Congregationi, illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conventibus, & domibus regularibus, ac Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & aliis personis praedictis specialiter, & expresse, ac principaliter, non autem ad instar, concessa, ac praesentibus de verbo ad verbum inserta fuissent, auctoritate, & tenore praedictis perpetuo extendimus, illaque omnia, & singula dictae Sylvestrinorum Congregationi, illiusque Monasteriis, Hospitalibus, Conventibus, ac regularibus domibus, necnon Prioribus, Superioribus, Officialibus, Fratribus, Ministris, & personis praedictis quibuscumque (exceptis tamen Privilegiis Monachorum Sancti Benedicti, per quae eidem Ordini indulgentiae conceduntur, ac etiam excepta facultate eligendi, & deputandi Conservatores Religionis, & Monachorum) communicamus.

Prima restrictio 4. communicationis.

Secunda restrictio.

Tertia restrictio.

Clausula sublata cum decreto irritanti

§.3. Decernentes, sic, & non aliter, per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac

Mandat. Pro-
rectori, ut fa-
ciat ea omnia
observari om-
nibus oppor-
tunis reme-
diis, appella-
tione postpo-
sita etiam in-
vocato auxi-
lio brachii se-
cularis.

Derogatio
concentrationum

Fides transsum-
ptorum.

FDat. die 23.
Nov. 1617.
An. XIII.

ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti dictae Sylvestrinorum Congregationis Protectori per presentes committimus, & mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quacumque, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicans, ac dictae Sylvestrinorum Congregationis Monachis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra presentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae literae concernunt, illis pacifice frui, & gaudere; non permittens, eos, vel eorum aliquem desuper contra praesentium tenorem per quoscumque etiam locorum Ordinarios quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel impediri; Contradiutores quoslibet, & rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, & censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna juris, ac facti remedia, appellatione postposita, compescen., invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.5. Non obstant. quibusvis Apostolicis, ac in provincialibus, & in synodalibus Conciliis editis, & in specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum Congregationum, Monasteriorum, & regularium domorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan., & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolica potestate plenitudine, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, ac infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictae Sylvestrinorum Congregationis, vel illius Protectoris obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 23. Novembris 1617. Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Irritatio nonnullorum Actorum a Judicibus Laicis Regni Portugalliae attentatorum contra ecclesiasticam immunitatem.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

AD audientiam apostolatus nostri non sine justo, & gravi cordis nostri dolore pervenit, quod procedente nuper in causa ecclesiastica in Civitate Ulixbonen. pro sui muneris auctoritate Ven. Fratris Octavii Episcopi Forosempronien. Jurium, & spoliatorum Camerae Apostolicae debitorum in Portugallia, & Algarbiorum Regnis Collectoris Generalis Auditore, & Judice delegato, cum pars altera ad Judices saeculares temere recursum habuisset; Judices hujusmodi, & postmodum alii pariter saeculares non solum contra Auditorem praedictum, sed etiam contra eundem Octavium Episcopum, & Collectorem occasione dictae causae suis injustis, & invalidis decretis, ac mandatis contra immunitatem, ac libertatem ecclesiasticam attentatis, Jurisdictionem pariter ecclesiasticam, & Sanctae Sedis Apostolicae Officiales perturbando, & impediendo procedere praesumpserunt, & ad quoddam eidem ecclesiasticae libertati, & immunitati maxime adversans decretum devenerunt, per quod decreverunt, ut Octavii Episcopi, & Collectoris hujusmodi jumenta, & illis servientes caperentur, nisi a servitio eius desisterent, & ne pecuniae suorum stipendiorum a Thesaurario Camerae Apostolicae ei solverentur, neque panis illi venderetur, & alia similia, unde in ejus executionem factum fuit, ut non solum jumentum aquarii captum, & familiaris dicti Octavii Episcopi, & Collectoris Clericus Beneficiatus habitu, & tonsura publice a Satellitibus tamquam vilis malefactor violenter similiter captus, sed etiam Domus ejusdem Octavii Episcopi, & Collectoris ab iisdem Satellitibus obsessa fuerit, spretis ejusdem Octavii Episcopi, & Collectoris in sententiam excommunicationis, & alias ecclesiasticas censuras, & poenas incurfus declarationibus, & interdicti ecclesiastici appositione gravi cum scandalo totius Civitatis, & Divinae Majestatis offensa graviori.

§.2. Quamobrem Nos, qui in Sede Beati Petri quamquam immeriti a Domino positi sumus, ne excessus hujusmodi, ac ecclesiasticae libertatis, & immunitatis, tam enormis violatio dissimuletur, & transeat in exemplum, pro nostri pastoralis officii debito providere, & malorum graviorum segetem, & radicem, quantum a Domino permittitur, nostra auctoritate apostolica evellere volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deque apostolica potestate plenitudine, omnia, & singula pra-

Laici Judices causam mere ecclesiasticam ad se trahentes nonnulla attentantur contra ecclesiasticam immunitatem, ipsamque personam Collectoris Generalis spoliatorum.

Praedicta omnia rescindit Paulus.

Clausulas apponit.

Similia sub penis hic expressis prohibentur attentari.

missa, & alia similia a praedictis dictorum Regnorum Judicibus saecularibus, etiam superemis, quocumque nomine, titulo, praerogativa, & gradu insignibus, in causa hujusmodi, & ejus occasione contra Octavium Episcopum, & Collectorem praedictum, ejusque Auditorem, seu Delegatum, Officiales, Ministros, familiares, res, & bona, quocumque praetextu, vel quaesito colore, quomodolibet decreta, mandata, acta, ordinata, facta, & sive scriptis, sive verbis quomodolibet attentata, quae omnia, & singula praesentibus haberi volumus pro expressis, nulla, invalida, irrita, & inania, ac nulliter, & invalide, inaniter, & de facto contra Sacros Canones, Conciliorum decreta, & Apostolicas Constitutiones attentata, & praesumpta.

§.3. Praesentesque literas, & in eis contenta quaecumque de intentionis nostra, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in jus, vel controversiam vocari nullatenus posse, sed semper valida, firma, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, tenore praesentium, decernimus, ac declaramus.

§.4. Et nihilominus ne imposterum similia praesumantur, omnibus, & singulis Judicibus saecularibus, etiam superemis dictorum Regnorum quocumque nomine, nuncupat., cujuscumque gradus, conditionis, & praerogativa existant, ne talia hujusmodi, aut similia adversus immunitatem, & libertatem ecclesiasticam, etiam quocumque praetextu, contra ecclesiasticos Praelatos, Judices, & personas, res, & bona, ac eorum jurisdictionem, & auctoritatem, ejusque liberum exercitium quomodolibet committere, aut attentare praesumant, sub excommunicationis majoris, a qua non nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, ac privationis quorumcumque beneficiorum, pensionum, officiorum, & dignitatum ecclesiasticarum, perpetuaeque inhabilitatis, tam quoad ipsos delinquentes, seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa imposterum quomodolibet obtineri, nec non amissionis quorumcumque jurium patronatus, privilegiorum, indultorum, gratiarum, concessionum, & investiturarum tam emphyteuticarum, quam feudaliurum eidem delinquentibus, & seu contumacibus, suisque, ut Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

praefertur usque ad quartum gradum descendentibus, quocumque titulo apostolico, aut alio ecclesiastico quomodolibet nunc., & pro tempore competens, & acquirere poenis ipso facto, absque ulla declaratione incurrendis interdicimus, & prohibemus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Quorum omnium, & singulorum tenores, etiam si de illis specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis haberi volumus. Aut si praedictis, vel quibusvis aliis personis ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§.5. Volumus autem, quod praesentes literae, seu illorum exempla manu Notarii publici subscripta, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita, & ad valvas Ecclesiae Ulixbonen. affixa, ita omnes ardeant, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die sexta Octobris 1617., Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CCLXXVIII.

Confirmatio Concordiae inter Forum Archiepiscopale, & Forum saeculare Mediolani super controversia exorta occasione consuetudinis trahendi Laicos ad Forum Ecclesiasticum.

Dilecto filio nostro Friderico tituli S. Mariae Angelorum in Thermis Presbytero Cardinali Borromeo nuncupato Ecclesiae Mediolanensis ex concessione, & dispensatione apostolica Praesuli.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecte fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

EXpositum Nobis nuper fuit pro parte tua, & dilecti filii nobilis viri Petri de Toledo Oforii Status Mediolanen. pro charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico gubernatoris, quod praetendente Promotore Fiscali Ecclesiae Mediolanen. posse etiam ex antiquissima consuetudine ab Ecclesiasticis indistincte trahi laicos ad ecclesiasticum forum, quacumque ageretur actio, vel remedio, & tam respectu bonorum ecclesiasticorum, quam respectu laicalium, vel patrimonialium etiam private ad forum saeculare, nec non ecclesiasticos Judices excipi posse in laicorum personis, & bonis etiam immobilibus per proprios, & alienos

Transumpta afficiunt, seu praesentes literae forent publicatae.

Dat. die 6. Octob. 1617. An. XIII.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Facti series.